



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Varij modi, quibus antiqui reos infamiâ notauerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Siue igitur linguâ, siue manu alios inuadas, dignus es, qui lege talionis puniaris. Veteres calumniatoribus, infami stigmate, calumniâ litteram in frontem inusserunt. Quali etiam signo fur-  
 ti reos notarunt, ut obuij oculis legerent, cuius vel lingua, vel di-  
 giti cauendi essent. Samij captiuos Athenienses, quos seruorum  
 loco habebant, noctuâ figurâ signabant. Vicissim Athenienses  
 Samiorum frontibus stigmata inusserunt, vnde iactatum vulgò,  
*Samijs neminem esse litteratiorem.* Nec quidquam tam fuit infame,  
 quàm inscripti vultus; nam apud solos Thracas signum nobilita-  
 tis erat, frontem punctis notatam prætulisse, ut Herodotus scri-  
 bit, vnde *Threijcia nota* in prouerbum venerunt. A quibus Istri-  
 ni non longè, ut loco, ita nec moribus recesserunt. Lysander,  
 ignominia causa, ab Agesilao rege carnium diuendarum mu-  
 neri præfectus est. Eadem de causa Brutij Iorarij facti sunt. Cal-  
 purnius Piso Consul, & Octavius Augustus milites ignauos & ti-  
 midos tunicatos discinctosque, per totum diem, cum decempedis  
 plerumque cespitem portantes, ante prætorium stare, vel obsole-  
 ta toga, & tunica discincta, nudisque pedibus, ante principia ad-  
 esse iubebant; vel fossam fodere discinctos cogeant; ut eo habi-  
 tu & specie deformi in omnium conspectu præ se ferrent insignem  
 memoriam flagitij ignominiaque acceptæ. Arnoldus Archiepi-  
 scopus Moguntinus contra Hermannum Comitem Palatinum,  
 bello gesto sub Friderico I. Imp. fulmine excommunicationis vi-  
 ctos hostes, canes, per ignominiam portare coëgit, atque ita in-  
 gratiam recepit Anno 1155. Equi à L. Quintio Cincinnato Dicta-  
 tore inclusi, cum se dedidissent, inermes sub iugum missi sunt. Tri-  
 bus hastis iugum fiebat, duabus humi defixis, superque eas vna  
 transuersa deligata. Alij asinis retrorsum insidentes, & caudam  
 manibus tenentes, per urbem circumducti sunt, quod Andronico  
 tyranno contigit à Constantinopolitanis. Nudati alij, verberati,  
 cum ignominia occisi; immò & occisi contumeliosè tractati, quo  
 pacto, teste Plutarcho, Ptolomæus rex Cleomenem mortuum pel-  
 le nudauit, & cruci affixit. Ita in pœnam multi honore sepulchri  
 caruerunt; multi sub patibulo tumulati, multi refossi cremati  
 sunt. Denique quid non excogitauit humanum genus, ut hostes,  
 inimici, & qui malum meruerunt, infamiâ plecterentur?

II.

Alex. lib. 2.  
cap. 13.

In appendice  
Mariani.

Sab. lib. 3.  
En. 3.

Plexit